

turum quoque aëris mutationibus ejusmodi Figuræ cœlesti introitus Solis in primum punctum V, & alteri erectæ horâ conjunctionis vel oppositionis luminarium, dictum ingressum proximè antecedentis tribuisse; confisos his tantummodo posse Meteora singula, & reliqua totius anni accidentia, prædicere &c. Recentiores autem, plurimas expertos fallacias, -- pluribus rem perstrinxisse, & primò pro qualitatibus quatuor anni quadrantum, octo cœlestes figuras construere, quatuor in introitu ☉ in puncta Cardinalia, V, S, ☽ & ☿, totidemq; momento conjunctionum vel oppositionum Luminarium, istos introitûs proximè præcedentium, erectas; indeque conjectare, an qualitates Veris, æstatis, autumnii & hyemis, naturalibus ac ordinariis congruentes, an dissimiles, sint futuræ: attendentes in istis Thematibus ad loca Luminarium, gradum Ascendentem, Planetarum essentialia dignitates, atque adeò inter cæteros quavis anni quarta dominantem, aliaque sine numero: *Secundò*, pro tempestatibus mensium singulorum & ejusvis hebdomadis, insuper operoso calculo earundemque circumstantiarum superstitiose-solicita attentione, eruere & excutere similes cœli figuras ad ♀, ♂ & ☐ ras cujusque mensis, numero adeò 48. erectas: Denique *tertiò*, iisdem aëris mutationibus in singulos dies divinandis, ad Planetarum aspectûs, Lunæ præsertim cum Planetis cæteris (B. noster Trew reliquos potius altiorum Planetarum inter se, tanquam rariòres ac durabiliòres, attendit, divinationem integris tantum hebdomadibus accommodans) & ad fixarum Ortûs & occasus, in diversis regionibus diversos, (quos maximæ considerationis esse Argolus putat) sedulò respicere &c.

IX. Huc igitur in Compendio redit prima Hypothesis Generalis, quæ tempestatum in hoc mundo elementari mirâ varietate obviarum causas longiùs è cœlis astrorumq; influentiis arcessit. Altera, Solis equidem vires in excitandis vaporibus, Meteororum adeò materia suppeditanda, utique manifestissimas ultrò agnoscens, formarum, quas induit ista, diversitatem è propiore multò fonte derivat. Nimirum excitatos à Sole vapores, quamdiu lento caloris impulsu vagabundi feruntur, in nebulas, nubes, rorem, pruinas, &c. coire posse diversis modis, quos explicare Specialis Physica solet; Ubi per angustiam aliquam variis casibus oblatam eos impetum ac celeritatem acquirere contigerit, ventos & flatûs, quales ex Æolopilis ob eandem causam spirare palam est, oriri, qui